

19.
DISPUTATIO THEOLOGICA
De
P E R S O N A
C H R I S T I,

Quam
Ejusdem auspiciis
Venerandæ Facultatis Theologicæ indultu
In inclytâ Electorali Academia Wittebergensi,
SUB PRÆSIDIO
V I R I


Plurimum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi,

DN. JOHANNIS HULSEMANNI
S.S. THEOL. D. ET PROFESSOR, PUBL. CE
leberrimi, Facultatis suæ hodie DECANI benemeriti, Alumno-
rum Elector: Ephori, Præceptoris ac Promotoris sui perenni
observantiæ cultu prosequendi,

Publicæ placidæq; disquisitioni sistit atq; submittit humillimè

Illustriss: Comitæ ac DNI: DNI: CASPARI ILLIESHAZY,
Comitis Hereditarii à Treuschin &c. Alumnus

MATTHIAS ROMENETZ, Tevto-Brodenus,
In Acroaterio Majori Theologorum,
ad diem Octobris, hor. ante merid.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC. XLIII.

79

~~XXXII. 3.~~

oll. diss. A
82, 17

oll. A 182 (17)

ILLUSTRISSIMO COMITI AC DOMINO, DOMINO
CASPARI ILLIESHAZY,
COMITI HÆREDITARIO à TRENSCHIN, EJUS-
DEMq; COMITATUS TRENSCINIENSIS ET LYPTOVIEN-
sis Perpetuo; Nec non Arvensis Supremo Comiti &c. Sac: Cæ-
sareæ Regiæq; Majest: Consiliario &c. Domino & Pa-
trono suo Clementissimo,
Gratiam & prosperitatem à Domino.

Quemadmodum Solis calor, cujus beneficiò Natura producit omnia,
non diversa tantum, sed contraria subinde agit; cum nonnulla solvat,
alia induret: Ita virtus Vestra Comes Illust: magna illa atq; inusitata, quæ
ubiq; commendatur, ubiq; prædicatur, alios ad admirationem, alios ad ob-
trectationem Vestri rapit. Multa equidem sunt, quæ meritò laudare de-
beant, nec pauca, quæ meritò mirari possint, ac plurima, quæ vix unus vel al-
ter imitari velit, æmuli verò lividi cavillari audacissimè audeant omnes.
Singula ex amussi describere, longius fuerit; Omnia compendiò complecti,
laboriosum; præcipua delibare, non satis consultum; nihil laudare, igna-
vum; silentio cuncta premere, ingratum: Medium inter extrema tenere,
difficillimum. Quid igitur? Splendorem ac dignitatem nominis I. V. M.
& quæ Oratorum mos, copioso orationis flumine in aliis passim commen-
dat, & multis verbis iisdem adulatur, silentiò & veneratione in I. V. M.
obsignabo. Summa enim hæc fastigia idoneò ac uberiori verborum elo-
giò insignire, nec magnitudo & I. V. nominis claritudo permittit; Nec
mee huic negotio, vel potius officio, imò debito, impares vires sinunt, nec
improborum patitur invidia. Potissimum quod in præconiis V. I. M. emi-
net, est vigilans ac sedula Religionis verè Catholicæ cura, pius divini Nu-
minis cultus, puras deniq; juxta & sincerus, quæ cum seculi calamitate, non
ex merito premuntur, literarum amor. Hæc illa sunt, quæ potissimum in
I. V. M. complures admirantur; pauciores verò, quos Hungari tellus alit,
imitantur; plurimi omninò, apud quos talia (ò seculum pessimum!) evi-
luere, criminantur. Vestra tamen Comes Illust: pietas, & quæ hujus sunt
pedes quæ individua, virtutes reliquæ omnes, non latere magis quam deleri
aut extingui possunt: Sed cum immortalis Vestra laude, super vim armo-
rum & inanes improborum impetus, supra factiones æmulorum semper
emine-



eminebit; ac ut ignis quidam perpetuo, & super orbem latius emerget ac erumpet. Supremi scilicet Numinis favor I. V. M. semper & ubique propitius, ne utiquam permittet, ut illis invidorum malis conatibus & dolosis machinationibus succumbat; quin potius, perpetuos de iisdem, tanto cum applausu, & voto summo, optime J. V. M. cupientium, triumphos agat, faciet. Ibunt pariter Muse, & pro se, suisque aternitatem J. V. M. Patrono ac Nutricio munificentissimo, certatim precabuntur. Precari omnino debent, quia aeternitatis tutela carere nequeunt. Omnia siquidem magna fulcro indigent, ut perennia sint: Et ut caelorum onus perpetuum homini incumberet, Atlantem aliquem vetustas finxit. Par judicium de literis, nisi Mecanatum liberalitate foveantur animam, agent. Ast ut vivant, vivere interest etiam Patronum ac Evergetam. Vivat ergo J. DN. Comes! valeatque diu magnus, Literarum, iniquissimo hodie fato, passim jactantium, vindex! Certè digna est J. V. M. digna omnino universa LIESCHAZIANA DOMUS, cui triseclis, imò perennis aetas, cum omnis prosperitatis exoptatae cumulo, contingat. Digna est, cui Pater caelestis assatim benedicat, & super quam rorem bonitatis ac gratiae suae largiter effundat. Ita oro quotidie, ita in posterum quoque orabo calidissime. Quod restat, J. DN. Comes uberrimos beneficentiae Vestrae rivis quotiescunque contemplor, copiosissime in me derivatos, exsurgo, & tanto felicior me agnosco, quanto minus fuerit in me, quod gratiam J. V. M. mereri potuisset: Gratiam inquit illam beneficam, quam nemo dignè satis aestimare potest, nisi qui splendorem Vestri nominis ac dignitatem intelligit. Nam quò majora haec sunt, eò major gratia, quàm me immerentem, indigum tamen illius clientem BENIGNITAS Vestra ingens, & prorsus hoc seculò ignota, complexa est. Suspicio liberalitatem; aestimo beneficium; Sed affectum prorsus adoro: Obstrictum me aeternum clamo: Ad gratiam ardeo. Quicquid tamen vel mente praecipio vile est, nihil est. Ergo munus hoc superis delego, & illos voto convenio, ut pro me solvant. Nihilominus tamen signum aliquod dare conatus sum, pròni, & properantis in cultum & venerationem animi. Sed quid? nisi conatus sum! Nihil etenim vires meae possunt, quod infra magnitudinem & beneficentiam J. V. M. non jaceat: Nisi tam quoque humana fuerit J. V. M. quam in excelso posita; & aestimet quicquid Musarum respexit benignitas. Arabicae quas fero, fateor, fruges non sunt; Sunt tamen legumina literaria in infelici solo, cui propter ingenii tenuitatem, condacens cultura non potuit, adhiberi, hac astate nata. Magnae in-

cerim voluntatis mee velut arrham in Fano excausata, ad aram huma-
nitatis Vestrae hoc quaecumque, grati animi thus, obligatissimam manu, reve-
renter ac humillimè lito, omni animi submissione enixè obsecrans, digne-
tur J. V. M. hasce tam mole, quam dignitate exiguas, à subjectissimo debi-
tore suo, haud quidem tanquam liberatoriæ: Ast duntaxat velut confes-
soriæ tabellam, mitissimò benevolentis oculò, aspicere pagellas. Domi-
nus Deus J. V. M. necnon J. ac M. D. Conjugem, D. & Patronam meam
clementissimam. J. ac M. par Filiorum. J. ac Ma: Dominum Generum,
Dominos mihi gratiosissimos: Illustrißimas deniq; ac Mag: Dom. Filiam
& Nurum, Dominas mihi benignissimas, cum universo omnium Vestre
Famulitio Nobilissimo, quam diutissimè conservet incolames, V. J. M. ad-
sit, Easdem suo gubernet Spiritu, & ab inimicorum insidiis tueatur; ut
afflicti asylum, Ecclesia Tutores, & veræ pietatis ac virtutis cultores Nu-
tricios & Nutrices habeant ac J. M. V. fruantur. Datum Wittebergæ
Anno 1643.

Vestra Per Illust: M.

Subjectissimus cliens

Matthias Romenetz

Aut. & Resp.

Proce-

Prooemium.

M Agnum pietatis Myſterium, Deus manifeſtatus eſt in carne! *1. Tim. 3. v. 16.* Et verè magnum, quò, ſive cœlum, ſive ſpecioſiſſimum juxta & ſpatioſiſſimum telluris theatrum, imò ipſum utriuſq; factorem Deum conſideremus, majus opus, vel ullum Myſterium pſemius pietatis, ſolatij ac ſalutis, quam quod **DEUS HOMO FACTUS EST**, haud deprehendemus. Hoc eſt ſummum ſpecimen Sapientiæ diviniæ, ſuprema viſ gratiæ cœleſtis, ineffabile documentum potentiæ æternæ, objectum Angelicæ admirationis, confuſio infernalis nequitæ, fundamentum ſalutis humanæ, argumentum ſanctæ contemplationis & lætitiæ. Dignus profectò, ut omne genus infortuniij in caput ejus depluat, & ſane etiam hoc quod deterius eſt, hominis nomine indignus, dignus ne omnino ſit, qui parvi pendet, quod Deus hominem aſſumſit. Age ergo accedamus cum Moſe, & videamus illuſtrem viſionem illam, quod rubus ardet & non conſumitur; *Exod. 3.* Quod verbum Dei factum ſit caro, quod ſplendet in humanitate, divinitas, nec tamen per Divinitatem abſorbetur humanitas. Eamus, inquit, ſed & calceos exuamus, quia hic ſacer eſt locus. Facessant omnia, quæ humana opponit ratio: Facessant omnia quibus imponit oratio: pietas ſit, ſit ſimplex fides, quæ non rimetur hoc pietatis Myſterium, ſed admiretur.

*Sit noſter Doct̃or, Duct̃or, Direct̃or Jeſus,
Ne delinquamus mente, viâ, calamo.*

I. **T** Rria verò in hoc Myſterio conſiderabimus: 1. *Duarum naturarum diſtinctionem & veritatem.* 2. *Personalem earundem Unionem.* 3. *Subſequentem ac realem Idiomatum naturalium communicationem.*

II. Duas in Chriſto naturas, (talis enim requirebatur Mediator) *Divinam* quam ei Pater per generationem æternam communicavit; ſecundùm quam verè Deus: Et *Humanam*, quam peculiari S.S. operatione in Maria virgine conceptam in tempore, aſſumſit, juxta quam verè homo, credimus & profiteamur eſſe.

III. Divinam Naturam in Chriſto probamus 1. *Ex nomine Jebo-*

men Deus; sed nomen Dei proprium & essenziale, quod & ipse sibi tribuit Deus *Exod. 6.3.* In nomine meo *Jehovah* non sum cognitus. *Esaï: 42.8.* dicit: Ego *Jehovah*, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Omnes denique Prophetæ nomen *Jehovah* ut Deo proprium attribuunt. *Moses Exod: 15.3. c. 24. 14.* *David Psal. 68. 5.* *Jer: 10. 16.* &c. Et de Deo sub ratione nominis proprii usurpatum legitur *1. Reg: 18.* ubi dicit *Elias*, *Si Jehovah est Deus, sequimini eum.* Argumentamur hinc ita: Quodcumq; nomen Deus sibi ipsi attribuit, nomenq; suum rotundis & plenis verbis asserit ac definit, in super omnes Prophetæ eidem sub ratione nominis proprii, & ut nomen verè proprium, assignant, id proprium nomen Dei esse absq; omni hæsitacione est statuendum & credendum, nec ulli rei extra Deum tribuendum. Tale est nomen *Jehovah*. E. Maj: tam certa, ut qui eam negare præsumat, omni rationis usu destitutus sit, oportet.

IV. At nomen hoc *Jehovah* Christo attribuitur *Esaï: 45. 18. 22. 23.* Cum quo conferatur *Rom: 14. 11.* *Phil: 2. 10.* Unde sic commodissimè & nervosissimè argumentamur; Cui flectetur omne genu & omnis lingua confitebitur, is est *Jehovah*, creans cœlos, formans terram, & ultra quem non est Deus. Atqui Christus est is cui flectetur omne genu & omnis lingua confitebitur. E. Min: probatur ex scopo seu proposito Apostoli: Nam Apostolus demonstraturus, nos coram tribunali Christi sistendos, hunc adducit locum; ex quo ita argumentandum esset Apostolo: Cui flectetur omne genu, ante illius tribunal sistemur. Atqui Christo flectetur omne genu. E. ante tribunal Christi sistemur. Min: negatâ omnis vis & nervus argumenti Apostolici perit. Quia verò id fieri non debet neq; etiam potest, manet ergo Apostoli, quæ etiam nostra est Minor; Manet quoque conclusio, Christus est *Jehovah* creans cœlos &c. firmissima, adversus quam nec ille sceleratus Orci satelles, cum universo sodalium grege stygio, prævalebit.

V. Huc, præter alia N. T. dicta, illud *Rom 9. 5.* potest referri, ubi disertè Christo nomen *Dei* attribuitur. Observa tamen non nudè nos ex nomine isto argumentari. Quis enim est qui nesciat, haud omnem, in Scripturis qui appellatur *Deus*, Deum esse æternum? Nec etiam in verbis, quod *Christus est super omnia*, veritatem venamur; Ultrò enim hoc largimur, non ignari, Christum in tempore à Deo Patre

Patre longè super omnia exaltatum esse, *Eph:1.21.* Verùm integram phrasin citamus, & notari id diligenter debere, urgemus, quod dicitur *Deus benedictus*; Et quomiescunque in Sacris *Deus benedictus* appellatur, toties *Deus aternus* intelligitur. *Luc:1.68. 2.Cor:13 Eph 1.3. 1.Pet:1.* Hinc ergo ita apodicticè concludimus: Quicumq; est *Deus benedictus* super omnia in secula, is est aternus Deus. Hæc enim est nota aterni Dei, *Rom.1.25.* Atqui Christus *Rom:9.* dicitur *Deus benedictus* &c. E.

VI. 2. *Ab appellatione Filij*, non simpliciter equidem, & quovis modo sumpta, sed cum tali restrictione, quæ ad nullam creaturam potest extendi, h. m.: Quicumq; dicitur in Sacris *Filius Dei 1. Proprius Rom.8. 2. Unigenitus Joh.1.18. Joh.3.16. 3. Aternus. 4. Patri æqualis*, ille est verus Deus. Atqui Christus dicitur in Sacris talis. E.

VII. Vocatur autem *Filius unigenitus Dei*, non quod de Spiritu S. conceptus est, præter rerum vulgarium feriem. Nam hac ratione Christus non tam *Patris*, quam *Spiritus S.* quippe de quo conceptus est, *filius* dici deberet. Sed hoc absurdum, omnes Patres detestantur, ut pote nullibi in Scriptura hunc loquendi modum inventientes. Angeli verba *Luc:1.35.* id ipsum neutiquam probant. Nihil enim aliud insinuare voluit Angelus, quam ipsum complementum vaticiniij *Esa:7.14. Ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel* &c. Hanc prædictionem jam esse implendam, ostendit Gabriel, sensusq; verborum emergit talis: *Quia tu per operationem Spiritus S. virginitate illæa paries hinc quod nascetur sanctum, vocabitur Dei Filius, adeoq; implebitur vaticinium Esaiæ de filio virginis cui nomen Homo-Deus.* Quatenus enim est genitus homo, nobis similis: quatenus verò vocatur *Filius Dei*, est verus Deus nobis dissimilis.

VIII. Christum esse *Filium Dei* ab aeterno Patre genitum, non legitur quidem in Scriptura, quoad formalia verba, ita junctim accepta, sed urgeri debet locus *Psal:2.7.* & conferri cum *Epist:ad Heb:c.1.* ubi idem locus allegatur, comparatione inter Christum & Angelos instituta. Ubi monemus, nos neutiquam ex adverbio *hodie* argumentari præcisè; Ast ex fundamento *filiationis*, quod est ipsa (quanquam lubenter fatemur, capere nos non posse, qualis sit, nimirum arcana & impervestigabilis) *generatio*, cujus ratione nullus Angelus est *Dei Filius*, quamvis alias *Dei Filij* dicantur in Scripturis. Nunc in h. m. colli-

colligimus : Quicumq; est Filius Dei Patris, ita ut sit ex Deo genitus, ille est ejusdem essentiae cum Deo Patre Ratio est: quia Filium generare est suam essentiam (seu numero, seu specie eandem) alteri communicare. Unde *August: l. 3. contra Maxim: c. 18.* Vitiosa & monstrosa esset Dei generatio, si ex ejus utero prodiiisset diversa natura. Colligimus ulterius: Qui est ejusdem essentiae cum Deo Patre, non potest non esse aeternus. E. si Filius Dei est aeternus & simul est ex Deo Patre genitus, erit ab aeterno genitus.

IX. Optimum argumentum pro Deitate Christi, illud est, quod dicitur Christus *Filius Deo Patri aequalis*, Joh. 5. 18. Ubi Judaei querebant eum interficere, propterea quod Patrem suum dixisset esse Deum, aequalem se faciens Deum. Neq; est ut existimet aliquis Pharisaos hoc, ut alia quaedam, per calumniam objecisse: Hoc enim nullatenus admittit tota illa disputatio, quam ex hac occasione ibidem Christus continuat cum Judaeis. Non enim negat, quod ipsi objiciebant, sed id ipsum demonstrat aliquot argumentis: 1. A testimonio Patris, v. 37. 2. A testimonio Johannis, v. 33. 3. a suis operibus, v. 36. 4. a Scripturis, v. 39. Hic certe necesse est, fuisse quendam statum controversiae inter Christum & Judaeos, adeoq; illud ipsum, Christum probasse maxime, quod Judaei ut absurdorum absurdissimum absurdum detestabantur maxime.

X. 3. *Ab attributis.* In quibus vel maxime ejusdem eminet aeternitas; cujus propria sedes est Joh. 1. l. ubi leguntur haec verba: *In principio erat verbum &c.* Nervus argumenti est in illo verbo *erat*, ut simplicissimus sit sensus, *cum res primum fieri inciperent, vel creari jam tum erat, vel existebat Verbum.* Cum ergo Scriptura aeternitatem h: m: describat, ut dicat aliquem fuisse, priusquam montes fierent & formaretur terra ac orbis, *Psal. 90. 2.* patet illum qui jam tum existebat, cum coelum & terra creari primum inciperent, extitisse ab aeterno.

XI. Ulterius, dicimus Johannem per elegantem allusionem, styli suum accommodasse ad Mosen, qui itidem suum scriptum iuchoavit his verbis: *In principio &c.* Et hinc non aliud principium intelligi, quam illud Mosis, h. e. principium *creationis.* Evincit id etiam scopus, quem sibi Evangelista propositum habuit: Nimirum *ipsam aeternae divinitatis Christi demonstrationem.*

XII. Ex

XII. Ex loco Joh:8.58. pari ratione, nos haud præcisè æternitatem ipsam adstruere protestamur, sed duntaxat probare: Nativitatem & existentiam Christi ultra tempus, quo humanam induens carnem Christus de virgine nasci dignatus est, extendi debere.

XIII. 4. Deitatem Christi adstruunt ipsius opera; Ex quibus potissimum elucet *creatio prima* sc: non verò *secunda*, hoc est, *renovatio*. Illam describit Joh:1. 3. his verbis: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Ergo secundæ nulla hic mentio, quoniam ipse textus illam non admittit. Manifestè enim dicitur, quod mundus per ipsum factus, illum non cognoverit. Annè ergo renovati Christum non cognoscunt? Obstat denique ipsius Apostoli expositio, qui Col.1. eadem verba per distributionem specierum explicat v. 15. 16. 17. 18. dicitur, quod *omnia per ipsum facta sint* &c. Necessariò igitur talis factura intelligi debet, quæ etiam ad Angelos sese extendat; Ast quid secunda creatio, quid renovatio, quid reparatio ad Angelos, quorum semen non assumpsit?

XIV. Ultimò divinitatem Christi arguit *cultus adorationis*, qui soli Deo competit, *Matth: 4.10. Deut: 6.13.* Christo verò in Scriptura manifesto tribuitur. 1. Quia ipsum adorant Angeli, *Psal: 97.7.* quod *Heb: 1.6.* de Christo dictum esse docetur. 2. Quia omnes honorare debent Filium sicuti Patrem, *Job. 5.23.* 3. Quia adoratur à cæco, *Job. 9.39.* invocatur à Stephano, *Act: 7.59.* Conferatur *c.9. Act: v.21. 1. Cor. 1.2. Phil. 2.10.*

XV. Pro veritate *Humane Christi Naturæ* asserenda, præter illa loca in quibus Christo tribuuntur omnia membra humana; qualia sunt, caput, manus, pedes &c: & membrorum horum partes, caro, ossa, sanguis &c. quæ omnia propriis suis & verè humanis functionibus conspicua fuerunt, observentur etiam illa duo insignia. 1. *Luc. 24. v. 39.* Ubi delirium illud Manichæorum & Valent: de Christi phantastico & imaginario corpore ipse Christus refutat. Nam cum Discipuli expavescerent, arbitrati se Spiritum, vel Spectrum videre, Domino in medio ipsorum se sistente, protinus opinionem hanc erroneam confutat, & veritatem corporis organici ita adstruit: *Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* q. d. Vos creditis me esse Spectrum, & non vivum hominem. At ubi visus arguit veram hominis formam, & tactus simul deprehendit ossa & carnem, ibi verum hominem esse certum est. Vos videtis meam formam, vos tactu perci-

B

pitis

pitis carnem & ossa mea. E. me verum hominem & non phantasma esse credatis. 2. Heb. 2. 14. Ubi Antor Epistolæ hujus in h. e. *Φαντάσματος* illi opponit veram communicationem & participationem carnis & sanguinis: Et immediatè finem hujus participationis sub- jicit v. 14. 15.

XVI. Misit quidem Filium suum Deus, in similitudine *carnis peccati*, Rom. 8. 3. Sed non in similitudine *carnis*. Venit Filius *in forma servi*, Phil. 2. 6. sed non *in forma corporis humani*, quemadmodum in V. T. quod tempus erat umbrarum & figurarum. Similitudo vel forma, in qua Christus constitutus fuit, & habitus, quâ ut homo Christus inventus, hîc non *de ipsa humanitatis essentia*, sed de *servili* ejus *conditione* intelligi debent; Quod Christus secundum assumptam naturam veram, abdicans se ad tempus plenariô, Majestatis divinæ communicatæ usu, sortem hominum vilissimorum sit expertus, ut ex conversatione ejus externa, nemo ipsum pro Filio Dei agnoverit, nisi per miracula splendorem aliquem gloriæ divinæ prodidisset. Verbo: Apostolus in I. c. non tam *incarnationem Filii*, quam *incarnati statum, conditionem & conversationem* in hoc mundo describit.

XVII. In promptu etiam sunt dicta Scripturæ S. quibus pudendus Apollinaris docentis, assumpsisse quidem Christum cum corpore animam, sed *ἀολυγον*, ejus verò vice fuisse divinitatē, error prosternitur. Etenim anima quam *λόγος* assumpsit, è propriis animæ rationalis describitur attributis, *Esa: 7. 15.* scientia & Electione. *Luc: 2. 4. 42. 52.* sapientia & prudentia. *Job: 5. 30. Luc. 22. 15.* Voluntate & desiderio.

XVIII. Assumpsit itaq; *ὁ λόγος* humanitatem, ut veram ita omninò integram, constantem omnibus, tum *partibus essentialibus & integran- tibus*, tum proprietatibus *essentialibus* & partium singularum & totius, atque *accidentalibus*, iis non ex naturali necessitate, sed *libera voluntate*, & *dispensationis gratia* ad tempus in statu exinanitionis, propter salutis nostræ precium, exemplum virtutis, & fulcimentum nostræ fragilitatis, ut Bonav: loquitur in 3. sent: dist: 5 *Paucis*: Quæ de homine *per se & essentialiter* prædicantur, de Christo quoque dicuntur & dici possunt.

XIX. Neque existimandum est, quasi ob defectum *proprie supposita- litatis* Humana in Christo natura, nostrâ imperfectior foret. Natura enim quæ propriam Personalitatem non habet, nec ex propriis & *na- turalibus principiis*, non aliunde impeditis habere potest, ea demum im- perfe-

perfectior est illâ, quæ habet. Secus longè cum Humana in Christo natura comparatum est. Nam singulari dispensatione superioris principii, ultimus scilicet humanæ naturæ actus, qui ex principiis naturalibus *per se* promanât, suspèditur ac quasi intercipitur, adeoq; natura humana, subsistentia divina $\tau\theta$ λόγῳ, terminatur & personatur. Et hoc est quod dicit Thom: Aquin: Naturæ assumptæ non deest personalitas, propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertinet: Sed propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad Personam divinam.

XX. Hæ duæ naturæ in Christo non tantum sunt, sed & arctissima Unione ad invicem sunt copulatæ, ut quemadmodum anima rationalis & caro unus homo, ita Deus & homo unus sit Christus, ut B. habet in Symbolo Athanasius.

XXI. Unionem hanc describit Johannes Evangel: c. i. v. 14. per Verbum factum est, quod hic non significat, *humanitatis in divinitatem mutationem, vel physicam, vel miraculosam*, quomodo in Cana oppido Galilææ aqua per miraculosam transmutationem versa est in vinum Joh: 2. 9. baculus Moysis in Ægypto, projectus humi, factus est coluber, Exod: 4. 3. Nec etiam *divinitatis & humanitatis mixtionem seu confusionem*, ut ex duabus una fiat, denotat. O facebant talia cogitationum portenta, à divinisimo isthoc mysterio, quàm longissimè! Sed innuit *assumptionem humanæ naturæ in personæ $\tau\theta$ λόγῳ unitatem*. Ubi diligenter urgenda est emphasis, quæ latet in vocula *assumptionis*. Certè si aut divinitas carnem absorpsisset, aut quædam carnis & divinitatis commixtio & confusio facta fuisset, nulla prorsus veritate dici posset, quod *Verbum factum sit caro*, assumendo carnem: Nihil siquidem verè dici possit *assumi*, nisi illud quod assumit, pariter ac hoc quod assumitur, *maneât integrum*.

XXII. Declaratio hujus verbi sumi potest ex locis parallelis: Inter quæ significantissima habentur verba Heb: 2. 14. 16. nimirum *1. communicare carni & sanguini*. Ubi vocabulum *communicationis* usurpatur non *active & transitive*, quia distinctissimæ etiam in ipsa, quamvis arctissima, unione, sunt & manēt naturæ; sed *intransitive & correlative*, nihilq; aliud significat, quam *quod Filius Dei sibi adjuuxerit & in consortium ac societatem personæ suæ carnem acceperit humanam*. Non possum non hic allegare verba Basilii de Sancta Nativit: Christi: Quomodo, inquit ille, Deitas est in carne? sicut ignis in ferro non

transitive, sed communicative. Non enim ignis excurrit ad ferrum, sed manens in suo loco, communicat ferro ignito propriam suam facultatem, nec communiōne illa minor fit, sed seipso totum ferrum replet, quod particeps est ignis. 2. v eodem 14. *participavit*, quod Christus sicuti pueri, non *putative*, sed *verè* factus sit particeps carnis & sanguinis. 3. *Assumere*: assumit non Angelos, sed semen Abrahamæ. Significat autem hoc verbum *duarum rerum conjunctionem sine confusione*, & quidem istiusmodi, cuius exemplum simile natura produxit nullum, quando $\lambda\omicron\gamma\textcircled{S}$ ita assumit semen Abrahamæ, ut cum eo unum constituat $\upsilon\phi\iota\sigma\mu\epsilon\nu\omicron\nu$. Hic panditur abyssus sapientiæ divinæ & potentiæ, hic fatendum nobis cum Augustino: *Deum aliquid potuisse, quod homines investigare non possumus.* Quis enim explicabit, quid sit, quod Deus fit, & non fit Angelus, non immensa moles, cœli, sed homo pusillus, & infirmus.

XXIII. Solam & nudam personam Filii Dei humanam naturam assumisse, quoniam si fiat secus, sequeretur totam Trinitatem incarnatam esse, quum una numero essentia divina, eaq; cōmunis omnibus tribus Personis sit, persuadebit nobis propterea nullus. Primum enim sciendum est, $\alpha\pi\theta\eta\tau\omicron\nu$ esse Mysterium incarnationis, ideoq; sicubi, certè hinc vel maximè captivādā esse rationem. Deinde, essentia divina dupliciter consideratur. 1. *Absolutè*, ut est in se, pluribusque communicabilis. 2. *Determinatè & relativè*, ut est in aliqua hypostasi Trinitatis. Natura divina non *absolutè & simpliciter* considerata, sed quatenus *in persona Filii Dei determinata est*. h. e. *Essentia divina non in tribus personis, sed in solius Filii persona* (quæ omninò *realiter* non differt à natura) *carnem assumpsit*. Cur verò media divinitatis persona carnem assumerit, devota Patrum pietas, pio studio collegit rationes nonnullas, quibus à posteriori voluerunt ostendere, conveniens fuisse Filium non aliam personam incarnari, nimirum 1. *ob lapsus reparationem*. 2. *Finis incarnationem*. 3. *generationis & nativitatis Messiae necessitatem*. 4. *ob Mediatoris conditionem &c.* Pias equidem has esse meditationes, nemo est qui ambigat. Verum, quum sciamus *ex solo beneplacito Dei* illud proficisci, dicimus Christianæ prudentiæ esse, in hac materia contemplanda modum tenere, velle quædam libenter ignorare, ac omnia devotè potius mirari, quam ultra verbum revelatum sapere: Satis enim est Scripturam indicasse $\lambda\omicron\gamma\omicron\nu$ factum esse carnem,

carne, non assignatâ uspiam causâ, ob quam non Pater, non Spiritus S. sed Filius humanam assumeret naturam.

XXIV. Deinde Col. 2. 9. Unio personalis hisce clarissimis exprimitur verbis: *Omnis plenitudo Deitatis habitat in Christo corporaliter.* Notandum hîc 1. *Subiectum.* 2. *Prædicatum.* Subiectum est *ἐν αὐτῷ* sc: *Christo*: Non enim sermo est de Deitate *absolutè*, non de *λόγῳ incarnando, & extra carnem subsistente*, sed de humana Christi natura. Nam Deitas neq; quiddam *σωματικόν*, neq; Deitatis plenitudo in Deitate habitare dicitur. Deitas enim & plenitudo Deitatis sunt ipsa essentia identitas. Jam verò quomodo simplicissimè unum quid, in se habitare, dici commodè potest: Imò vox ipsa *inhabitandi*, aut detorqueatur ad unitatem illam essentia, ratione cuius aliàs Pater dicitur esse in Filio, nusquam autem juxta Deitatem *in Filio habitare.* Aut ad assumptam naturam humanam tanquam proprium suum templum. Prius non permittit vox *habitandi*, qua domicilium seu habitaculum innuitur: Hac certè ratione neq; Pater in Filio, neq; essentia divina tribus personis essentialiter communis, habitare dicitur in singulis personis. A nemine enim negari potest, quod inhabitans & habitaculum plane sint diversa. Jam *λόγῳ* & à Deitate toti S.S. Triadi communi & subsistentia *τὸ λόγῳ* à *λόγῳ* ipso realiter non differre. E. inconvulsam postèrius manet; Omnem plenitudinem Deitatis, non in Deitate *τὸ λόγῳ*, sed in assumpta humana natura tanquam proprio domicilio habitare. Prædicatum est: *inhabitans omnis plenitudo Deitatis* (cum determinatione) *corporaliter.* Tria hîc notanda: 1. *Ipsa inhabitatio*, qua voce innuitur humanam carnem intra intimum *τὸ λόγῳ* complexum assumptam esse, *λόγῳ*q; planè ineffabiliter & imperiscrutabiliter unitam, ita ut altera tota sit in altera, nec altera sit extra alteram *ullo modo.* 2. *Inhabitans*, & est *tota plenitudo Deitatis*, quæ etsi nusquam est absque sua plenitudine, cum sit Spiritus simplicissimus: Nulli tamen creaturæ in cœlo & in terra, hæc ejus inhabitatio ita tribuitur, quam humana à Filio Dei in unitatem personæ assumptæ Naturæ. 3. *Modus inhabitandi*, exprimitur voce *corporaliter.* Non quidem hoc sensu quasi Divinitas sit corporea, sed quod sit, ut Patres loquuntur, *incorporata, carne tota vestita, incarnata, inhumanata.* *Paucis*: voce *corporaliter* modus unionis tantum explicatur, qui *περὶχώρησιν* naturarum includit. Sensus ergo hujus dicti simplicissimus, & ex litera fluens erit iste: *Non aliqua particula, sed tota plenitudo*

nitudo, non donorum sed ipsius Deitatis, non ad tempus manet, sed perpetuò inhabitat in Christo; non fictè, sed verè, non umbratiler, sed personaliter, non secundum divinitatem, sed potius juxta carnem assumptam, in qua illa, tanquam in proprio suo templo, est.

XXV. Colligo jam hinc: In quo tota plenitudo Deitatis σωματικῶς ceu in proprio habitaculo, per & propter unionem personalem habitat, illud impletum, est illa tota Deitatis inhabitantis plenitudine, non per nudam aliquam assistentiam ab extra, sed per intimam inhabitantis in inhabitato circumincessionem; Manifestum ex dictis. In assumpta carne τῆς λόγῃ tota plenitudo Deitatis σωματικῶς &c. E.

XXVI. Ac proinde, qualis est Unio isthæc, tales etiam ex illa resultant prædicationes. Qualis quippe res est, talis de ea prædicatur veritas. Unio hæc neutiquam est nominalis, seu verbalis, non identica vel etiam tropica &c. sed realis imò realissima, mystica, singularis, nova & personalis. Personalis prædicatio propriè & strictè sic dicta, quæ hodie definitur, est, in qua concretum unius nature de concreto alterius, ob personæ unitatem & mutuam περιχώρησιν prædicatur. Ergo de carne humana in ὑπόστασιν τῆς λόγῃ assumpta, & Deitatis plena legitimè in concreto enuncio, Jehovah est germen Davidis, Filius Dei est Filius hominis, Deus est homo, & vice versa.

XXVII. Ex dictis ergo unionem personalem sic definires, quod sit, quâ præternus Filius Dei Creator cæli & terræ, humanam naturam in unitatem suæ personæ assumpsit, ita quidem, ut Filius Dei, qui ab æterno persona fuit in primo conceptionis puncto humanæ nature, quæ persona non fuit, propriam suam personalitatem communicaverit, qua item in hac una hypostasi duæ nature ita mutuo sese commearunt, ut omnis plenitudo Deitatis habitet in assumpta carne σωματικῶς, tanquam in proprio suo templo, & caro in unionem personalem assumpta Deificataq; per eam sit ipse Jehovah totus, sine omni confusione, commixtione, & mutatione &c. in se invicem habitant, atq; ita unum ὑφιστάμενον in ipsa Trinitate constituent.

XXVIII. Hactenus de Unione hypostatica. Sequitur jam, velut immediatum quoddam arctissimæ unionis, confectarium, Idiomatum divinorum communicatio, quæ est κατὰ συνδύασιν, qua id, quod quod proprium est unius nature communicatur cum altera, per & propter mutuam consociationem.

XXIX. Talem communicationem Idiomatum in Christo factam

etiam esse, idq; propter personalem unionem & modò explicatam communicationem Naturarum, evidentissimis rationibus, præeunte Nobis Scriptura, probamus. 1. In assumptione humanæ naturæ in ἁπόσει λόγος, non *natura nuda* unitæ sunt, sed proprietas suis instructæ. 2. Natura humana verè ac re ipsa in ἁπόσει λόγος assumpta fuit, alias enim illa caro esset vel ἀνυπόστατος, quod absurdum, esset enim non caro vel ἰδιοσύστατος, & sic duæ personæ, quod Hæreticum. At ἁπόσεις λόγος suis cum idiomatis ταυτοῖς & quiddam ἀμέριστον est. Nulla ergo diversitatis potest dari ratio, cur persona sit communicabilis & communicata, attributa non item. Præsertim verò cum utrumque Scriptura satis manifestis verbis asserat.

XXX. Econtra, non solum impossibilitas communicationis priorum, persuadetur ratione ab ipsarum vocum, *proprii* nempe & *communicationis*, notionibus desumpta; sed etiã hanc in Christo factam esse pertinaciter pernegatur à multis. *Prius* h. m: Propriũ est, quod soli inest. Proprium quod communicatur non soli inest. E. proprium illud non est proprium. *Posterius*, tali inter alia probatur argumento: Si ex vi communicationis hypostaticæ facta est communicatio quarundam proprietatum divinarum, aliarum quoque omnium facta sit oportet; siquidem idiomata divina à se invicem non possunt separari: cum realiter idem sint inter se & cum natura divina. Non autem est hoc, nam æternitas, immensitas, simplicitas, & aliæ non sunt communicatæ. Ergo nec illud

XXXI. Nos possibilem & usitatissimam etiã in rebus naturalibus esse aliquam priorum communicationem, sequentibus demonstratum damus fundamentis. *Primò*: Divisibilitas quantitatis communicatur qualitati sc: albedini, quæ est res diversa à quantitate, unita tamen cum ea. Divisibilitas quantitatis est proprium quantitatis *Aristoteles 6 Physic: text: 37. E.* Aliquod proprium communicatur rei alteri diversæ, unitæ tamen. Nee tantum divisibilitas qualitati communicatur. Verum insuper substantiæ quæ est diversa à quantitate, & tamen fit divisibilis ratione quantitatis. v. g. Qui videt lignum à fissore dividi, ac substantiam ab accidente differre intelligit, rem ipsam manifestissimè deprehendit.

XXXII. Sit aliud exemplum: Sit notissimum illud absinthii in vino macerati, unde & vinum absinthiacum nuncupatur, sapore herbæ

herbæ proprio videlicet usquequaque imbutum. Unde sic argumentamur: Sapor absinthii inest alteri, & est absinthio proprius. E. quoddam proprium inest alteri.

XXXIII. Et eccur huc plura accersamus? Si rogantes communicationem proprii, ferrum candens, sinu suo fovere valuerint, habent in quo obtinendo tantopere desudant; Nec nos ipsis herbam porrigere tardabimus. Sin minus, frustra ergo tot ab ipsis contra priorum communicationem finguntur & creduntur machinæ, quæ ipsorum sensuum testimonio redduntur inutiles & futiles.

XXXIV. Ad ratiunculas Resp. ad 1. aliquid alicui dupliciter inesse potest. 1. *per se, ut subjecto primario, & immediato*, quomodo divisibilitas inest quantitati, coloratum superficiæ. 2. *per aliud primum seu mediatè*, quomodo divisibilitas inest qualitati, v. g. albedini, itemq; substantiæ ratione nimirum quantitatis. Proprium ergo id quoque, quod alteri tribuitur ratione alterius, soli alicui, nimirum illi, cujus est proprium immediatè inest: non enim *immediatè* inest alteri, sed *mediatè*. Non autem hæc duo pugnant: proprium alicui soli *immediatè*, & ut subjecto primo tribuitur: Et proprium adhuc alii *mediatè* seu per *subjectum primum*, tribuitur, cum oppositiones leges deficient.

XXXV. Ad 2. Resp. 1. Propositio falsum & alienum præsupponit: nimirum normam hujus Mysterii intelligendi & judicandi esse rationem humanam, ex cujus præscripto sumpta est ipsa: cum potius loquuturi de hoc Mysterio continere nos debeamus intra cancellos Verbi Divini, quod docet Mysterium hoc ex fine incarnationis intelligendum esse N. C. Maj: Nec obstat realis attributorum identitas, cum constet etiam ex natura eorum, quæ realiter sunt idem, unum communicare posse, non communicato altero. 2. Respondere solent quidam nostrorum Theologorum; 'Omnia idiomata divina naturæ Humanæ communicata esse, sed cum hoc discrimine, ut alia de ea prædicentur *immediatè*, ut cum dicimus, humana natura est omnipotens, omniscia &c. Alia *mediatè*, ut cum dicimus, humana natura est omnipotens omnipotentia æterna, infinita. Æternitas modo priori de H. N. prædicari nequit: quum non sit æterna. Posteriori tamen quin prædicetur, nihil obstat.

XXXVI. Cæ-

XXXVI. Cæterum ad distinctam veræ sententiæ cognitionem, tres realis idiomatum communicationis gradus sunt observandi.

1. Ordinem naturæ, necnon Damasc: sequuti ponimus, *Proprietatum*. 2. *Majestatis*. 3. *Operationum officii*.

XXXVII. Primum genus est bimembre: Alterum est, quando id quod uni naturæ convenit ac proprium est, tota persona sibi vendicat, ut cum dicitur, *Joh: 8. Antequam Abraham erat, ego sum. Heb: 13. 8. Jesus Christus heri, hodie, & ipse in secula. Rom: 9. 5. Christus est ex Patribus secundum carnem. Gal: 3. 13. Filius hominis est in cælo.* Alterum: quando humanitatis propria, actiones & passiones Filio Dei, sed in concreto attribuantur. *1. Pet: 4. 1. 1. Pet: 3. 18. Act: 2. 3.*

XXXVIII. Notanter dicitur, propria toti personæ in concreto attribui. 1. Non quod natura assumpta τῷ λόγῳ, propriè loquendo, sua idiomata communicaverit: Sed quia Filius Dei particeps factus carnis & sanguinis, ideoq; etiam humanas sibi verè ac realiter appropriat infirmitates & passiones, quod exsertis verbis Scriptura affirmat: *Dominum, inquit, gloria crucifixerunt, 1. Cor. 2. 8. Autorem vitæ interfecerunt, Act: 3. 15. &c. 2.* Quia in hoc genere non dantur prædicationes abstractivæ, sicut in secundo, ubi Majestatica dona de humana natura prædicantur, attamen realissimè reales. Deus enim revera passus & mortuus est, licet non in se & sua natura, tamen in assumpta carne.

XXXIX. Facessat hinc ἀλλοίωσις Zvingliana, quæ non distinguendi, ut illa Orthodoxa, innuens nimirum solum naturas, earumq; proprietates etiam in ipsa Unione manere inconfusas; sed excludendi vim habet, h. e. λόγον à communionem passionis plane excludit, atque arduum redemptionis Mysterium enervat. Non potest ergo hîc locum habere illud, cum dicitur: *Quoties de Christo prædicatio offertur, semper prædicatum est inspiciendum, & cui naturæ est proprium, eidem esse tribuendum*: atque sic propositiones hæc: *Filius Dei est mortuus, passus, sanguine suo Ecclesiam acquisivit, juxta nominum permutationem exponendas esse, nempe h. m. Filius Dei est passus, i. e. Homo qui personaliter est unitus Filio Dei est passus &c.*

XL. Huic sententiæ tanquam erroneæ opponimus 1. ipsam naturarum communionem verissimam ac realissimam, veluti quæ pertinet ad formam unionis personalis; unde fit, ut qualibet natura in concursu ad officium Mediatorium non divulsè aut separatim, sed di-

C

stinctè,

stinētē, cum communione alterius operetur. 2. Sacramentum literarum veritatem, quæ passionis carnis λόγῳ expressissimis verbis attribuūt. Vide dicta c. th:38. 3. Passionis fructum seu efficaciam, quæ non ex nudæ humanæ naturæ, sed etiam ipsius λόγῳ passionis & morte dependet. Effectus enim infinitus præsupponit causam infinitam; nec etiam nisi infinito acquiri & produci potest medio.

XXI. Secundus gradus communicationis Idiomatum est, vera ac realis μετάδοσις, qua Filius Dei carni suæ in unitatem personæ assumptæ, divinæ suæ celsitudinis gloriam & majestatem ita communicat, ut quæcunque λόγῳ habet per essentiam, assumptæ caro habeat per unionis & communicationis personalis gratiam.

XLII. Ubi attendendum 1. Quis sit communicans, & dicimus S.S. & Individuam Trinitatem: liquidem Trinitatis opera ad extra sunt indivisa, Joh. 5. v. 19. 2. Cui facta est communicatio; nimirum Pater & Spiritus S. dant Majestatem & gloriam humanitati, non in sua, sed in λόγῳ persona: Filius verò dat sibi ipsi secundum humanam naturam. Notanter dicimus in λόγῳ persona, quia actus licet fuerit communis, terminus tamen soli Filio competit. Deinde quia datio illa non sit facta extra personam; neq; etiam in humanitate, ita, ut ex divina natura in humanam sit transfusa, quæ non communicatio foret, sed humanæ naturæ abolitio, & in divinam transmutatio: Per solam duntaxat communicationem humanæ naturæ obtigit. 3. Id quod communicatum. Huc referenda sunt omnia dicta Scripturæ, quæ clarè testantur humanam naturam in Christo, ideò, quod cum divina personaliter est unita, accepisse dona, non tantum finita, & ipsi naturæ inherencia, qualia intelliguntur Luc. 2. 52. Sed etiam, & quidem porissimum divinâ ἀξιώματα, & ut Form: Concor: loquitur, singulares, excellentissimas, maximas, supernaturales, impervestigabiles, ineffabiles, atq; cælestes prerogativas, Majestatis gloria, virtutis & potentie divinæ, super omne quod nominatur non tantum in hoc seculo, sed etiam in futuro.

XLIII. Communicationem divinarum & infinitarum excellentiarum, sufficientissimè hoc duntaxat unico, ut reliqua non adducamus, Scripturæ dictorio demonstramus, quod extat Joh: 17. 5. Et nunc clarifica me Pater apud te metipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud Te. Unde nascitur hæc ἀπόδειξις: Quam gloriam Christus apud Patrem ab æterno habuit, illa est verè divina & infinita.

vita. At gloria qua Christus in tempore secundum humanam naturam glorificari petit, est illa ipsa, quam apud Patrem ab eterno habuit. E. illa gloria, qua Christus in tempore secundum humanam naturam glorificari petit &c. Rufinus: Si gloria qua Christus in tempore secundum humanam naturam glorificari petit, (& glorificatus est) est verè divina & infinita, sequitur quod eadem Christo secundum humanam naturam sit communicata. At prius est verum. E. & posterius. Ratio connexionis in Maj: est, quia glorificatio ista, primariò est plenariæ communicatorum *ἀυξημένη* divinorum post depositam formam servilem, in exaltationis statu Christi, carni factæ *γενήσας* concessio.

XLIV. Possimus in specie de singulis sigillatim dicere, & negotio facili ex Scriptura demonstrare, universa (NB. quæ in toto Codice Sacro usquam commemorantur) divinitatis attributa, Christo homini communicata esse: Verum quia omnium maximè omnipræsens Majestas carnis Christi sannis Diaboli exposita est, missis reliquis, ea nobis sit instar omnium.

XLV. Confirmationi thesios nostræ præmittimus hæc sequentia: *Primum*; Nos non dicere i. quasi caro Christi omnibus rebus creatis præsens sit *ex proprietate nature humane, seu actu naturali*: Juxta hunc, non secus atque nostra corpora occupant suum spacium, longum, latum & profundum, atque sic etiam in ipsa unione terminis essentialis sue circumscriptum manet. Huc pertinent omnia dicta Patrum, quæ omnipræsentiam ejus negant, in quibus corpus Christi in proprietatibus suis essentialibus considerant. Neque etiam 2. dicimus, carnem Christi præsentem *ex proprietate corporis gloriosi*; Juxta hanc caro Christi est in certo *πῶ*, ut omnia corpora gloriosa. Sed 3. Christi carnem *actu personali*, h. e. propter infinitam personam, in quam assumpta est, & in qua subsistit, omnibus rebus iis præsentem esse credimus, quibus Christus ipse suam præsentiam (NB) in Scriptura disertè promisit. Quando autem 4. carnem Christi *actu persone* præsentem esse credimus: Non credimus præsentiam *quantitativam, extensivam*, quasi corpus Christi extensum & expansum sit, veluti aër &c. (ô quam absurda hæc est phantastica imaginatio! & quam inania malè sani cerebri somnia!) sed credimus præsentiam divinam, qua Deus rebus omnibus præsens est: Deus autem præsens est non per ullum corporalem modum, sed modo divino, nobis in hac vita & via imperscrutabi-

C a

tabi-

tabili: Divino isthōc modo præsenter adesse, quis dicet Deo difficile esse?

XLVI. *Secundò*, 1. Inter præsentiā humanitatis ad λόγον internam & inter præsentiā ad locum sive creaturas externam. 2. Inter diversos status Christi, secundum humanam naturam; Exinanitionis scilicet ac Exaltationis, Phil. 2. 7. 1 Pet. 1. 11. 3. distinguunt quidam inter actum primum ac κτήσιν seu possessionem hujus Majestatis omnipræsentiæ, h. e. inter Majestatem ipsam humanitati collatam & communicatam: Et inter actum secundum sive ejus χεῖρσιν & usum plenarium.

XLVII. Dicimus ergo juxta istos, quod ipsa communicatio & κτήσις sive possessio, in ipso Unionis duarum naturarum ac incarnationis momento, humana natura obtigerit; ob quam rationem intrinsecus λόγῳ ubiq; locorum fuit præsentissima, omnipræsenter autem & Majestaticè propter intervenientem exinanitionis statum non fuit operata, atque sic omnipræsens non fuit: sed plenariam communicatæ ἐξουσίας & Majestatis usurpationem, depositā formā servi, & in statu exaltationis, demum per sessionem ad dexteram Dei Patris est consecuta.

XLVIII. His ita prælibatis nostram assertionem argumentis probamus firmissimis. 1. *A communicatione Personæ.* Hæc enim aut totaliter aut partialiter est communicata; non hoc pacto, sic foret partibilis. E. priori, Ubi igitur est Persona Filii Dei, ibi etiam assumpta ejus caro: At illa omnipræsens nusquam à carne absens. E. 2. *Ab illocalitate personæ Filii Dei*, cujus quia humanitas facta est particeps, etiam erit illocalis, nimirum unita indistanter & inseparabiliter λόγῳ. 3. *Ex dulcissimis promissionibus*, Matth: 18. 20. & c. 28. 2. 4. *A sessione ad Dexteram Patris illocalem*, Heb: 1. 13. Eph: 1. 20. Quæ argumenta notasse tantum sufficiat, latius enim diducere ea, brevitatis huic disquisitioni debita non permittit.

XLIX. Quæ contra Omnipræsentiā Humanæ naturæ ex Scriptura objici solent, potiora 1. *A Nativitate Christi.* 2. *Morte.* 3. *Ab Ascensione.* 4. *A reditu ad judicium* & c. petita sunt.

L. Ad singula paucis. Ad 1. Resp. *Primò*: Distinguendum esse inter actum naturalem & personalem. Concedimus quòd in utero Virginis Mariæ fuerit localiter per actum naturalem. Ast quia etiā in statu exinanitionis λόγῳ & per Unionem hypostaticam nō suscepit Humanam naturam in circumscriptum locum, sed elevavit
illam

illam in seipsam illocalem, & super omnem locum, adeò, ut nullibi etiam in statu Exinanitionis fuerit λόγος quin incarnatus, & sic in carne fuerit, & nullibi ullam rem tibi præsentio- rem habuerit, quam carnem suam, factum hinc, ut pari ratione humana natura secundum internam præsentiam semper ubique locorum præsentissimè adfuerit λόγῳ suo. *Secundò* : Concedimus etiam tum temporis Christum secundum humanitatem, Majestatem divinam plenariè non exercuisse, non omnia præsentè sustentasse, conservasse, gubernasse, & sic nulli alii creaturæ, (*quia erat in statu & forma servi*) adfuisse, nec adesse voluisse.

LI. Ad 2. Resp. Libenter concedimus, in morte Christi animam à corpore solutam fuisse, verè enim Christus erat mortuus, ideoq; ubi erat corpus, ibi animam, ob factam separationem naturalem, neutiquam fuisse. Nihilominus tamen hæc duo, quorum unum ab altero distabat *Physicè*, & loco, non distabant ab invicem *hyperphysicè* in λόγῳ, quippe cujus hypostasis infinita, illocalis, impartibilis, indistans est, in qua tota anima subsistit, paradisum juxta prædictum Christi, incolens, & in tota subsistit corpus sepulchro inclusum; unde sequitur, animam & corpus in λόγῳ illocali & indiviso simul fuisse *personaliter indivulsa*, & sibi *præsentissima*, licet *naturaliter* & quoad loca *divisa*, fuerint separata, & invicem maximè absentia. *Breviter*: Distingvant, Topistæ, Calviniani & Papistæ, inter *modum præsentiae naturalem & personalem*, ac rem unam diverso respectu modoq;, posse, tum alteri *verè adesse*, tum ab eadem *verè & sine ἀντιφρασίᾳ* abesse, protinus deprehendent.

LII. Ad 3. Resp. N.C. Christus secundum humanitatem ascendit ad cœlos. Ergo prius non erat in cœlis. Disting: est inter *illocalem præsentiam* quam humana natura habet ex *unione personali*; & inter *localem*, quam habet ex *conditione propriae naturæ*. Secundùm *hanc* ascendere potest, ubi antea non fuit, manente interim *immota illa*, secundum quam ubiq; λόγῳ omnia in omnibus implenti, præsens fuit. *Verbo*: Absentia illa localis, qua jam propter ascensionem illam nobis abest, tantum opponitur *præsentiae locali*: Atque sic alteram illam, *quæ in unione hypostatica* fundata est primum, & *per sessionem* demum ad dexteram Dei *complementum* sortita est, nempe *illocalem*, haud tollit.

LIII. Ad 4. nimirum hoc: Qui è cœlo in hunc mundum redi-

bit ad iudicium, is cœlo relicto, in locum inferiorem descendet corpore suo, in quo antea non fuit corpore suo. Atqui si Christi corpus per unionem personalem est ubiq; nec cœlum deserere, nec in locum inferiorem propriè descendere poterit. Resp. Sic scilicet, qui rationi suæ frenos laxant, innumera sibiipfis somnia fingunt. Ecce quam egregiè isti Rationistæ ultimum Christi ad iudicium adventum describunt! Quod cœlo relicto in locum inferiorem sit descensurus, in quo antea non fuit corpore suo. Nuspiam, nuspiam ita Scriptura loquitur, quæ non per loci mutationem, sed *manifestationem Majestatis gloriosæ*, ejus adventum describit 1. Cor. 1. 7. 2. Thef. 1. 7. Nam Christus appariturus in nubibus, non deseret dexteram Dei, sed apparebit in cœlo, sedens in gloria virtutis & majestatis suæ, Matth. 24. 30. 2. *Invisibilis presentia, visibilis manifestatio*, quæ in π̄s beatorum beatis semper fuit; *extraordinariè* autem in terra quandoq; liberè facta est, Stephano morienti, Paulo &c. Et deniq; *visibilis manifestatio in iudicio*, sibi non sunt opponenda.

LIV. Haftenus de κοινωνίας gradibus, mutuam proprietatum ἀντιδοσιν continentibus: Sequitur gradus *communicationis operationum & ipsorum operum ceu effectuum actionis*. Est autem Communicatio operationum seu communio officii & beneficiorum Mediatoris, *quando utraq; Natura in Christo agit id quod ipsi est proprium, sed eum communione alterius*. Nam utriusq; naturæ nō separatim, sed *conjunctim*, operatione concurrente, unum efficitur ἀποτέλεσμα θεανδρικόν: *opus Dei virile*, uti loquitur Damascenus.

LV. Observandum est hīc probè discrimen ipsarum *proprietatum actionumq; & operum officii*. Etenim actiones proficiscuntur ex una natura & ejus facultate naturali, divinæ ex divina, humanæ ex humana; Suntq; inter se distincta, quamvis *non divisa*. Αποτέλεσμα autem sunt *effecta & consequentia actionum*, ex utriusq; naturæ operatione promanantia. Sic aliud est *mori*, & aliud *pro genere humano mori*. Illud est hominis *nudi* proprium; hoc verò est *Dei & hominis uniti* opus & officium. Effundere sanguinem, est actio *propria naturæ humanæ*: Sed effundere sanguinem *in remissionem peccatorum* est ἀποτέλεσμα *utriusque naturæ*. Unde 1. Scriptura adscribit illud *Domino gloriae*, Act. 3. 15. 1. Joh. 3. 5. 2. Proprium humanæ naturæ comperit omnibus hominibus, quis verò dixerit omnes homines pro mundi vita esse mortuos?

LVI. Hanc operationum Communicationem probamus 1. *ab unitate personæ*, quæ sicuti unica est, ita etiam actiones sint communes necesse est. Modum enim existendi, sequitur modus operandi. Atque sic in sanationibus humanitas non erat *instrumentum nudum & inefficax*, sed *divinæ ενεργείας* ita particeps facta, ut & ipsa

ipsa

ipfa in edendis miraculis λόγῳ fuerit cooperata. Quamquam miracula vel effectus illos supernaturales principaliter ad Divinitatem Christi referēdos esse, non inficiemur, eosdem autem non tantum factos esse per humanitatem, hoc est, quod propugnamus. Certē Prophetæ & Apostoli in describendis Christi miraculis nō λόγῳ nudi sive absoluti sine carne, sed *Messiae* miracula describunt: nempe qui ad hæc faciēda secundum carnem unctus est virtute λόγῳ propriā, qua indutus *Christus obambulabit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo*, Act. 10. 38. 2. *Ab effectis divinis*, quales sunt, *conterere caput serpentis, benedictionem omnibus gentibus impetrare, peccata remittere, animas salvare, mundum Deo reconciliare, eternam justitiam acquirere, vitam eternam conferre*. Hæc omnia, quis amabo, extra Deum, præstare vel efficere valet? Nulla omnino creatura, nisi fuerit Deus cum ea. Ergo, solius Dei hæc esse operationes, nemo est qui negare audeat. At easdē omnes & singulas disertis verbis tribui *semini mulieris*, Gen: 3. *Semini Abrabæ*, Gen: 12. 3. & 18. *Filio hominis*, Matt: 9. Luc. 9. *Germini Davidis*, Jer: 23. 33. *Carni Christi*, Col: 1. &c. quilibet videt. Ecquis jam amplius oggannire præsumet? & ex ipsa Scriptura convictus, humanam Christi naturam non tantum secundum vires naturales, sed etiam vi & virtute illa divina, quam ex arctissimo personalis unionis vinculo, obtinuit, ad mediatorii officii opera efficacissimè concurrere, ulterius protervè ac pervicaciter negabit? 3. *A Mediatoris conditione*, quæ requirit, ut is, qui inter partes dissidentes, Deum & Hominem, Mediator esse debuerit, *DEUS & Homo sit* necesse est. Ad stipulatur nobis Vigilius inquiring: *Talæ bestia requirebatur, quæ ita MEDIA esset inter DEUM & HOMINEM, ut & morti succumberet per illud, quod hominis habebat, & mortem vinceret eò, quod divinitatem in se tenebat.*

LVII. Illud etiam hîc addere placuit, quod, cum dicamus Christum secundum utramque naturam, opera Mediatoria perficere, non sic intellectum velimus, quasi omnes actiones & passiones *partiales subjectivè* in se recipiat divina natura (scimus enim divinam naturam pati & mori haud posse.) Verim hæc dicimus, In illis corporis actionibus divinam naturam otiosam non esse, sed semper quod suum est agere & conferre: quum non nuda hypostasis, sed divina natura, ut hypostasi λόγῳ terminata est, assumptam naturam, ad expedienda & perficienda quælibet salutis nostræ opera atque munia, adhibet. Nusquam enim caro operari potuit, nisi ex vi, imperio, voluntate, directione, sustentatione q; Verbi, ut caro non tantum pateretur & moreretur, sed simul patiēdo & moriēdo *eternam vinceret mortem, & caput Serpentis contereret.*

LIIX. Visâ hac visione magnâ, & expensâ, quantum per spississimas oculorum mentis seu intellectus, licuit & fieri potuit, tenebras, isthoc pietatis Mysteriò summò, jam de via redeuntes, deprædicamus Filii Dei bonitatem & clementiam, assumptione carnis nostræ declaratam, devotissimâ *Damasceni* precatiunculâ: *Euge & CHRISTE, quid tibi pro his omnibus nos miseri & egeni retribuemus? Tua enim sunt omnia, & nihil à nobis petis, nisi ut salvemur: ac hoc ipsum etiam Tu das. Equidem accipientibus gratiam habes, propter ineffabilem tuam bonitatem: Tibi sit gratia, quod, cum non essemus, dedisti, ut essemus, cumq; perditii essemus, ex gratia nobis donasti, ut benè essemus, ac, qui inde prolapsi sunt, eos rursus erigis, & reducis eò, propter ineffabilem tuam demissionem.*

F I N I S.

*Dn. Respondenti largiorem subinde cælestis gratiæ
affluentiam!*

E Cathedrâ melius se discere posse *Lutheri*
Credidit haut temerè Panno, Thrax, Sarmata, Gothus.
Interpono fidem, fore vix *ROMENEZIDE* quenquam
temporis exacti mage splendida signa daturum.
I nunc, & Batavo cœnum de cortice linge:
Salvificos latexes scaturit sola Unda *Lutheri*.

PRÆSES.

MATTHIA Clarii perpulcer floscule campi,
Et *pragnans Magni nomen & omen Avi.*
Personam doctæ *CHRISTI* certamine sanctam
Verum hominem CHRISTUM dicis, & esse Deum.
Naturasq; duas junctim subsistere ubique,
Et regere imperiò cuncta creata suo.
Non secus ac solida monstrat *Concordia Forma*
Et sanctâ docuit voce *Lutherus* evans,
Perge tuis ausis, Christo duce, nectere telam,
Intrepidaque illum mente fideque proba.
Sic tibi semper erit præsens *naturâ in utraque,*
Et referet meritis præmia lauta tuis.

*M. Johannes Hertwicius, olim Prage ad
Ædem Majorem D. Stephani & S. Apol-
linaris in monte Genoso Pastor, & Con-
fessorii Ordinum sub utraq; Assessor, nunc
Exul Christi, Stipendiarius, Elector, & Ho-
spes Academicus VVittebergæ.*

Quas tibi concessit Dominus prædivite dextrâ
Ingenii & mentis nobilioris opes,
Majorum, stirpisq; decus! sua munera larga,
Cui grata *Eusebie Mnemosinæq;* parat!
Has Domino sacras: Nam dona sacrare juvabit
Singula munifico, qui dedit ista, Deo.
Hinc cultum Te nostra *Sion* excepit *alumnum:*
Te *Mysiam* excipiet, *patria clare,* suum.

*M. Johannes Christophorus Seldius
Franc. Facult: Philosoph: Adjunctus.*

Gratulor hos ausûs. Sic præmia magna sequentur,
Præmia magna solo, præmia magna polo,
Andreas Fitkowini Batthoviâ Ungarus.